



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 7. Hominem, etiam post peccatum, plantis, bestijsq[ue] esse
superiorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

mo. hac & metet. Hanc messem si Adam voluisset vitare, semetem omittere debuisset.

§. VII.

Hominem, etiam post peccatum, plantis bestijsq; esse superiorem.

Plin. li. 8. nat. hist. cap. 23. *Quamquam neque herbae illae ipsae, aut bestiae multis noxiae, adeo noxiae sunt, ut utilitate sua careant. Recte ille dixit: Non est fateri, rerum natura largius mala, an remedia genuerit. Quippe cum, ut viperam morsus viperam cinere curatur, ita ex ipsis venenis optime medicinae conficiantur; & nosci etiam, non, ac vitari, ac ipsae quoque bestiae domari, magna ex parte, vel occidi possint, quae possunt nocere. Neque enim initio tantum,*

Gen. 1. 26. *atque ante peccatum, Deus dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & praesit piscibus maris, & volatilibus caeli, & bestiis, universaeque terrae, omniaque reptilia quod movetur in terra: sed etiam post peccatum, imo post diluivium, dixit Deus Noe,*

Gen. 9. 2. *& filiis eius: terror vester, ac tremor, sit super cuncta animantia terrae, & super omnes volucres caeli, cum universis, quae moventur super terram. Multa sane sunt animalia hominibus fortiora, atque ea propter metuenda; nulla tamen prudentiora; qua de causa*

caussa omnia hominem timent, cuius ingenio & industria vincuntur. Gymnetæ Æthiopiæ populi, teste Diodoro, regionem incolentes asperam, super arbores, ferarum timore, dormiunt: sub auroram, ad aquarum decursus armati prodeunt, se abscondunt, inter arborum frondes. Sub æstû verò solis agrestes boues pardalésque, ac varia ferarum genera, cum caloris, tum sitis causa, ad aquas confluunt: quas aqua iam grauatas ex arboribus descendentes occidunt, perq; cœtus diuisas edunt. Impuberes pueros exercēt ad certum signum jacere, solis cibos præbentes ijs, qui signum tetigere. Ideò jaculatores optimi euadunt, urgente fame. Æthiopes isti timore testantur, feras nocere, industria ostendunt vitari vincique posse. Initio quidem bestia hominibus, nocere non potuissent; quia quam diu Adam DEO seruiuit, etiam illi bestia perfectissimè subjecta seruiuerunt: *idem est dicere, ait Glossa interlinearis, præsit piscibus maris &c: ac si diceret, Dominus sit omnium inferiorum*: postea tamen, sicut ille DEO, ita illi bestia rebellauerunt. Habuit ergo, quod timeret, cum id peccato meruit. Ratio tamē illi relicta est, vt caueret.

Ex

Diodor:
li. 4. c. 3.
de reb.
antiq.

Glossain-
terlin.

Gen. 1. 26.

Ex quo fundamento duplex quaestio soluitur, cur nempe Eua non horruerit, cum serpente colloqui? & quamobrem, etiam post peccatum, homo dicatur Dominus bestiarum?

§. XIII.

Homini in bestias dominium apparet, ex Eua serpentem non horrente.

Ad primam quaestionem quod attinet;

1. Constat Eua à serpente seductam. 2. Constat, non seductam à naturali serpente; qui quia ratione, & sermocinandi facultate est destitutus, cum Eua naturaliter colloqui, & de imposito praecepto disputare non potuit. 3. Constat, Eua à diabolo propriè ac principaliter deceptam.

Sap. 2. 23. *Quoniam Deus creauit hominem inextinguibilem, seu quodammodo immortalem, & ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiit in orbem terrarum.* Et, ut Christus Seruator ait: *ille erat homicida ab initio; quia primos homines ad peccatum, & per peccatum ad mortem induxit, mortiq; obnoxios fecit.* 4. Constat diabolum, per os serpentis, eo modo, locutum fuisse, quo solet aliàs, per energumenos verba humana formare, ac loqui